

# IUVENTUS

ERIHEMERIS IN IUVENTE ET STUDIORIBUS

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la Jeunesse

Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 18. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction) ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (teleph.: 468-099)

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Primum subnotationis an. 1942—43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse internationale» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, primum annum solvit.

## Meminerimus!

(Die 6 m. Octobris.)

In vento vexilla atra volitant, corda nostra sonum campanarum lugentium resonant, digitus Fati immisericordis in paginis fastorum diem quendam monstrat: *pridie Nonas Octobres*. Vox maerore oppressa faucibus haeret, modo animus aegritudine praesenti mollier factus inquirit Aradinum, bustum<sup>1</sup> Hungarorum optimorum, qui mortem gloriosam appetiverunt.

Fructuosum est hodie meminisse illorum bustorum tredecim. Fructuosum est meminisse, quae nos sacra mors eorum doceat.

Mortui immortales! Unum propositum, unum desiderium habebant: felicitatem patriae. Pro hoc omnia devoverunt:<sup>2</sup> curriculum vitae certum, interior et familiarem vitam beatam ac quietam. Duces manus<sup>3</sup> parvae facti sunt, quae montes quoque pae robore et claritate veritatis suae collabi credidit. Mense Martio laeto October funebris successit, vexilla fracta sunt, et libertas humi prostata est. Ii autem capita spei pleni deflexerunt, stridente ferro

celeris mortis, cum speciem<sup>4</sup> martyres habentem triumphare scirent.

Pridie Nonas Octobres! Usque adhuc unam opinionem habebas: te hoc die labore quiescente otio frui posse. Sonat-ne iam in corde tuo campana<sup>5</sup> sollemnis? Sentis-ne calceos tibi exuendos esse, cum in terra sancta incendas? Expercuntur ne in mente tua consilia magna? «Dulce et decorum est pro patria mori»<sup>6</sup> Illi tredecim et multi alii terni deni hoc sciverunt et mortui sunt, et moriuntur etiam hodie. Patria vitam tuam non postulat, sed rogat quoddam aliud: benignitatem, caritatem piam. Deus orbem terrarum ita excogitavit, ut in libra<sup>7</sup> mundi lacrimae et risus, maeror et felicitas suis ponderibus<sup>8</sup> libarentur.<sup>9</sup> Propter homines se<sup>9</sup> interponentes<sup>9</sup> altera lanx librae nunc in profundo sita est. Vis-ne lacrimas detergere, risum spargere? Vis-ne dare



Pittacia beneficia Cruci Rubrae Huugaricae dedicata.

<sup>1</sup> sír = Grab = tombeau    <sup>2</sup> fel-áldoz = aufopfern = vouer  
<sup>3</sup> csapat = Truppe = troupe    <sup>4</sup> eszme = Idee = idée    <sup>5</sup> harangszó = Glocke = cloche    <sup>6</sup> Horatius: Carm. III. 2, 13    <sup>7</sup> mérleg = Waage = balance    <sup>8</sup> egyensúlyban van = im Gleichgewicht stehen = être en équilibre    <sup>9</sup> beavatkozik = sich einmischen = se mêler

e divitiis animi tui, ut haec libra dono exiguo vitae tuae ad pondera paria propius accedat? Visne particeps operis Dei esse?

Dr. Gisela Lakatos uxor Ladislai Bartha (Mezőtúr).

## De sacramentis militum. (2)

Pauci cognitum<sup>7</sup> habent<sup>7</sup> in Gallia morem non fuisse, ut tirones sacramento adigerentur. In Gallia novissime conscripti in area castrorum<sup>8</sup> congregabantur, ubi quidam praefectus militum superior orationem habebat, qua admonebat eos officiorum militarium. Nunc iam etiam Galli ad religionem Pétain imperatore postulante redierunt. In Hispania nationali pro<sup>9</sup> sacramento quaedam actio symbolica usu recepta est. Novi tirones conscripti sub duabus vexillis decussatis (= ad formam litterae X extensis), quae centuriones manu tenent, transeunt.

In Fennia tirones formulam iurandi dignam memoratu, at longiorem et rebus insolitis postulata dicunt. Pars formulae maximi<sup>10</sup> momenti<sup>10</sup> haec est: «Si quo modo certior fiam id<sup>11</sup> agi,<sup>11</sup> quod ad primordium reipublicae evertendae, vel ad formam rei publicae mutandam, vel ad instituta legesque aut statutum civitatis commutanda spectet, de hoc statim referam. Nunquam agam contra officia obsequii mei, haud respiciens cognationem, vel affinitatem, vel amicitiam, neque concedam, ut invidia, timor, largitio apud me valeant». Persimplex sacramentum militum Japonicorum esse videtur; ibi enim tironibus tabula nomine subnotanda est, quae officia militum continet. Finis.

<sup>7</sup> sciunt <sup>8</sup> kaszárnya = Kaserne = caserne <sup>9</sup> helyett = anstatt = au lieu de <sup>10</sup> legfontosabb = wichtigst = le plus important <sup>11</sup> consilium capi

Julius Holpert O. Cisterciensis.

## De deiectu<sup>1</sup> aquae<sup>1</sup> Rheni Scafusae.<sup>2</sup>

«Dachsen» distat a Scafusa mille passus. Hic possumus admirari spectaculum mirum deiectus aquae Rheni. Via flexuosa ad pedem rupis ducit, ubi latus deiectus aquae est. Illinc cernimus Rheenum, qui procedit magnificus paulo ante, quam locum attingat, unde desilire debet. Scopulus im-



Deiectus aquae Rheni.

manis adoritur undam furiosam; flumen aggreditur eum ita, ut spumae fervant et surgant rabiosae. Improviso alveus desidit et duplex flumen cum terribili rugitu<sup>3</sup> fataliter in voraginem se coniicit. Est verum diluvium spumae, est inenarrabilis

confusio rerum, verticum, turbinum, aestuum alborum. Quicunque hoc donum naturae mirabile vidiit, nunquam obliviscitur spectaculi magnifici.

Fabius Ferrari disc. Lucanensis.

<sup>1</sup> vízesés = Wasserfall = cataracte <sup>2</sup> Schaffhausen  
<sup>3</sup> zúgás = Rauschen = grondement

## Stropha Himfyana Alexandri Kisfaludy.

Te video in caelorum  
Colore caeruleo;  
Te video fluviorum  
Profluenti speculo;  
In aureo solis diē  
Flammis in fulgentibus,  
Lunae nocte luminibus  
Argentis trementibus.  
Temporibus omnibusque  
Tu per omnes angulosque  
Sine mora sequeris,  
Ne turba me crudelis.

Vertit Ilsa Mosonyi disc. Giselani Bp.

## Certamen corrigendi.

Qui hunc nuntium mendosissimum a quodam lectore edendi causā mense Martio a. 1941 scriptum optime correxerint, praemium accipient. Terminus corrigendi: Calendae Decembres.

Amy Johnson mortua est. Quam ephemerides Britannicae nuntiaverunt mundo, dominam volantem insignem nactam esse: Amy Johnson. Ea erat clarissima domina volans non solum in Britannia, sed etiam in tuto mundo. Adhuc in aetate puella factum est nomen eius clarissimum: e Melbournense in London volavit sola. Tam audacem volatum vires volantes ante eam non fecerunt. Postea denuo volavit trans Oceanum inter London et meridiem Africam Australiamque. Quum ad Jim Mollison nupsit, magis etiam volabat, adhuc audax, fortiter fuerit. Iam una cum marito volant et etiam sic fuerint clarissimi. Aderant ubique, ubi clari volantes constituerunt alium. Volatorum certaminum circumvolandi arti misericortes erant. Amy Johnson ivit etiam in Hungaria in Julio 1935 una cum merito ad circumvolandum Hungaricum. Decem dies degit in Hungaria terra. Postea saepe meminerat diem in Hungaria. Amavit machinas diversissimas in aquae et sicce et in aéri. Non reformidabat nullum periculum. Nunc, ut patria sua bellum gerit, Amy Johnson statim offerebat operam suam. Supra Temse condedit cum machinam malum accideret. Praecipitabatur et undae devorabant.

## Nuntii recentissimi.

Urbs Stalingrad iam diu a Germanis oppugnatur. Quamquam bolsevistae tam obstinate resistunt, ut omnes domus quasi singulae arcæ munitæ sint, tamen oppugnantes pluribus locis perruptis iam ad flumen Rha (Volga) pervenerunt.

In certamine internationali ludi latrunculorum seu scaccorum<sup>1</sup> victoriam Aljechin sibi reportavit.



Urbs Stalingrad temporibus Imperatorum Russicorum.

Anno 42 p. Ch. n. primus vicarius terrestris Christi, **Sanctus Petrus**, Claudio imperatore dominante Romanam advenit. Anniversarius pro hisce temporibus in Urbe Aeterna pietate christianā celebratus est.

In perclara curia *Aquensi*<sup>2</sup>, ubi plus 30 reges Germanorum insignia<sup>3</sup> regia<sup>3</sup> acceperant,<sup>3</sup> dies natalis millesimus ducentesimus **Caroli Magni** sollemniter celebratus est.

**In Japonia** Ecclesia catholica nuper iura legitima a ministro institutionis publicae impetravit. Sic posthac nil impedit, quominus catholici japonii Deum ritu christiano colant et adorent.

**Res statisticae.** Anno 1930 *Hispania* 240 centena milia, a. autem 1941 iam 255<sup>4</sup> centena<sup>4</sup> milia<sup>4</sup> incolarum habuit. Quamquam in bello civili inter duos recensus<sup>5</sup> populi<sup>3</sup> gesto 1,000.000 civium aut ceciderunt, aut a bolsevistis crudeliter trucidati sunt, tamen numerus civium decem annis auctus vere mirabilis est. — *Civitates Foederatae Americae* Septentrionalis 1339 centena milia civium habent. Numerus Indianorum 332 milia non superat. Nostris temporibus — sicut ephemeris «Junge Kirche» nuntiat — in 10.000 oppidorum vicorumque huius permagnae reipublicae templa nondum inveniuntur, 30.000 autem vicorum multos per annos sacerdotem non viderunt. Ita fit, ut 130 centena milia impuberum 12 annis iuniorum religionem nunquam docebantur.

**Viri illustres de JUVENTUTE.** Viris illustribus, quorum merita mense Septembri enumeravimus, has quae hic publicantur epistulas ad moderatorem mittere placuit.

*Illustrissime Domine!*

*Maximas tibi ago gratias pro cara commemoratione per occasionem honoris mihi a Gubernatore tributi. Gaudens commentariolum<sup>6</sup> in IUVENTUTE editum legi. Sincero corde de magno pulchroque labore ephemeridis latinae a discipulis amatae gratulor, et opto, ut Amplitudo tua praemium pulchrum operae moderandi difficilis periculique<sup>7</sup> plenae<sup>7</sup> in animis multitudinis lectorum adulescentulorum inveniat. Accipe, domine illustrissime, unā cum tota redactione significationem reverentiae meae sincereae veraeque, quacum persisto tibi deditus<sup>8</sup>*

Zirc, die 28 Sept. a. 1942.

*Vendelinus Endrédy m. p.  
abbas Zirciensis.*

*Tabellarium Praepositi de Castro Jászó.*

*Aestimatissime Domine Moderator!*

*Clementi mandatu atque nomine Suae Amplitudinis Praepositi-Praelati gratias tibi ago pro humano<sup>9</sup> obsequio<sup>9</sup> nec non pro decoro exemplari honorifico excellentis ephemeridis in usum iuuentutis a te peritis-sime editae. Suam Amplitudinem admodum iuvit<sup>10</sup> commemoratio amanter scripta, ex qua studium Domini Moderatoris in Ordinem nostrum atque laudes laboris nostri percepit.*

*Persisto sincera cum reverentia*

*In Castro Jászó, die 5 Oct. a. 1942.*

*Ervinus Karsai  
magister<sup>11</sup> scriniorum<sup>11</sup> Praepositi.*

<sup>1</sup> sakk = Schach = échec    <sup>2</sup> Aachen = coronati erant  
<sup>4</sup> 25,500,000    <sup>5</sup> népszámlálás = Volkszählung = recense-  
ment    <sup>7</sup> cikk = Artikel = article    <sup>7</sup> felelősségteljes = ver-  
antwortungsvoll = responsable    <sup>8</sup> kész híve = er-  
geben = dévoué    <sup>9</sup> szíves figyelem = freundliche Auf-  
merksamkeit = attention complaisante    <sup>10</sup> jól esik = es  
freut = faire plaisir    <sup>11</sup> irodaigazgató = Kanzleidirector =  
chef de bureau

## S. O. S.

Ex commentariis *S. Széchenyi*, quibus «Venationes in Alasca» inscribitur. Latine reddidit: *I. Guelmino*.

Duae naves autem, inter se magno spatio di-  
stantes, constituerunt ex hac ipsa distantia signa  
e pago Kulukat venire. Nuntium miserunt ergo  
portui proximo: Anchorage, ubi statio radio-  
phonica, quia non eadem longitudine undarum  
utebatur, signa S. O. S. non accepit, ut auxilio  
essent miseris.

Hiems erat, multo magis opportuna ad spectan-  
dum e fenestrīs, quam ad decurrentū spatiū  
septingentorum quinqūginta chilometrorū. Ego  
autem tunc forte in illo ipso oppido Anchorage  
morabar, ut nonnullas hebdomades quieti darem.  
Et quoniam e nuntio apparuit medicum ibi desi-  
derari, omnes mihi eo eundum esse mirabili con-  
cordia consentiunt. Rogabar igitur, ut aëroplanum  
concederem. Omnibus, quae mihi opus erant,  
collectis iam in aëroplano eram et urbs lente eva-  
nuit ex oculis cum suis lampadibus vespertinis,  
cubiculisque calidis familiaribusque. Et post in  
silentio noctis — subter tenebrae erant et vastitudi-  
nes silvarum — «caece» volavimus ad pagum Kulukak  
versus. Septingentis quinqūginta chilometris per  
quattuor horas consumptis, quia subter adhuc  
ubique nebulosae<sup>33</sup> tenebrae erant, quibus fidere,  
ut descenderemus, primo nequaquam ausi sumus,  
coacti autem demum tentavimus,<sup>34</sup> et in campo  
infinito nivium descendimus.

Circum nos ubique nox sine stellis. Pagus ne  
sentitur quidem. Erramus pagum quaerentes. Ecce  
autem sub pedibus mihi glacies rumpitur, unde  
eruptus porro quaerimus pagum, cum iam-iam  
reversuros ululatus canum subsistere<sup>35</sup> coegit.  
Paganis<sup>36</sup> audiverunt murmur machinae, quod  
scrutantes<sup>37</sup> quid sibi vellet, exierunt.

Introductus in pagum vulnus magistrae curavi  
non ignarus tempus maximum esse, ut aegrota in  
valetudinarium veheretur. Collocavimus igitur in

<sup>33</sup> ködös = nebelig = nébuleux    <sup>34</sup> megpróbál = ver-  
suchen = essayer    <sup>35</sup> megáll = stehen bleiben = faire halte  
<sup>36</sup> falubeliek = Dorfleute = paysan    <sup>37</sup> kutat = erforschen  
= scruter

aéroplane et tempore quidem importuno<sup>38</sup>, nam nix obstinate<sup>39</sup> ex adverso procellosa<sup>40</sup> furebat, tamen fortunate avolavimus et pervenimus ultimo puncto temporis benzinā deficiente.

Magistra autem liberata est. Sanata iam diu iterum suos caros Indianos docet. Sribit quoque saepe et Wampum iam gnarum esse missoris radio-phonici administrandi me certiore fecit. Ecce cur morabar ego in urbe Anchorage? Non semper



Miles Hungaricus agricolam Ucranum in metendo adiuvat.

nostrum est facere, quod volumus. Neque vitare, quod volumus, dixit medicus severe surridens.

— Et tu ubi claudus factus es? — interrogavi.

— Pes meus, dixit, frigore<sup>41</sup> confectus<sup>41</sup> est, quando glacies sub me rupta et pero<sup>42</sup> dexter aqua completus est. Sed non animadvertis. *Finis.*

<sup>38</sup> nem kedvező = ungünstig = peu favorable <sup>39</sup> kono-kul = beharrlich = obstinément <sup>40</sup> viharos = stürmisch = orageux <sup>41</sup> megfagy = erfrieren = geler <sup>42</sup> csizma = Stiefel = botte

## LECTORIBUS MINIMIS.

### locosa.

1. *Magister*: Describe centies: «Magnus asinus sum», et iube patrem tuum subscribere.

2. *Magister*: Dic mihi exemplum caloris corpora dilatantis,<sup>1</sup> frigoris autem contrahentis. — *Discipulus*: Aestate sunt dies longae, hieme breves.

3. *Magister*: Ioannes, tu nihil scis! — *Ioannes*: Si quid scirem, non scholam frequentarem.

4. *Discipulus* (lectionem<sup>2</sup> pronuntians<sup>2</sup>): In castris pestis coorta est. Rex quoque solum veste<sup>3</sup> mutata<sup>3</sup> potuit effugere.

5. Princeps quidam veste mutata saepe inter plebem ambulavit. Aliquando apud rusticam cibum<sup>4</sup> vespertinum<sup>4</sup> sumpsit, quae pro singulis ovis num-  
num aureum postulavit. Princeps interrogavit: «Suntne hac regione ova adeo rara?» Tum rustica, quae principem agnoverat, respondit: «Non ova, sed principes sunt rari.»

*Victor Reményi* disc. Astricini (Sopron).

1. «Perdiu in Oriente vivebam,» dicit leviter quidam dominus in conventiculo.<sup>5</sup> — «Ita? — rogat alter, — tum bene cognovisti etiam Hellespontum? — «Videlicet, — respondet mundivagus<sup>6</sup> — summo opere diligens, amans pacis, honesta gens est.»

2. «Quid facis?» — pater filium rogat. — «Minimus denominator<sup>7</sup> communis mihi quaerendus est,»

respondet puer graviter gemens. — «Heu! — dicit pater caput renuens,<sup>8</sup> — iam illo tempore quaerebatur, quo ego scholam frequentabam, et ne<sup>9</sup> hodie quidem<sup>9</sup> inventus est?»

*Camilla Kiss* disc. Ursulani, Scarabantiae.

1. Custos duos pueros in mālo<sup>10</sup> sedentes conspicit. Compellat eos: «Quid facitis in summa arbore?» — «Mala vermiculosa,<sup>11</sup> quae deciderant, quaerimus» — dicunt pueri perturbati.

2. Mater Nigritana<sup>12</sup> ad filium: «Quid fecisti, puer inepte? Denuo plane albus es propter squalorem,<sup>13</sup>»

3. Magister litteram «d» docet pueros. Inscriptit in tabula vocem «dens», et interrogat filiolum Cingari:<sup>14</sup> «Quid est, quod in tabula inscripsi, Sárkózi?» — Sárkózi tacet. — «Age, quid est in ore patris tui?» interrogat eum magister denuo. — «Tabacum<sup>15</sup> manducabile» — respondet puerulus.

*Geysa Mizsei* disc. Jászberényensis.


1. *Medicus*: Quo morbo<sup>16</sup> laboras?<sup>16</sup> — *Aegrotus*: Non possum noctu dormire. — *Medicus*: Dormi igitur die!

2. *Magister*: Dic mihi, Ioannes, cur Abel a fratre suo Caino fuste<sup>17</sup> necatus sit? — *Discipulus*: Nam tum sclopeturum (= revolverium) nondum<sup>18</sup> erat inventum.

3. *Pater*: Dic mihi, fili, quid dixerit dominus magister de penso, quod ego tibi scripsi? — *Filius*: Dixit me non tam stultum esse, quam eum, qui id scripsisset.

4. *Pater*: Quomodo discit filius meus, domine magister? — *Magister*: Tu vivis? Filius vester heri petivit me, ut sibi ad exsequias<sup>19</sup> tuas abire liceret.

*Michael Kycza* disc. Munkacsensis.



Navis torpedine icta per periscopium ante oculos posita.

<sup>1</sup> kitágít = ausdehnen = étendre <sup>2</sup> leckét felmond = die Aufgabe hersagen = réciter sa leçon <sup>3</sup> álruhában = verkleidet = déguisé <sup>4</sup> vacsora = Abendbrot = souper <sup>5</sup> társaság = Gesellschaft = réunion <sup>6</sup> világlátott = welt-erfahren = globe-trotter <sup>7</sup> nevező = Nenner = dénominateur <sup>8</sup> csóvál = schütteln = hocher <sup>9</sup> még... sem = nicht einmal = pas même <sup>10</sup> almafá = Apfelbaum = pommier <sup>11</sup> férges = wurmstichig = véreux <sup>12</sup> néger = Negerin = nègresse <sup>13</sup> piszok = Schmutz = saleté <sup>14</sup> cí-  
gány = Zigeuner = tzigane <sup>15</sup> bagó = Kautabak = mé-  
got <sup>16</sup> mi a baja? = was fehlt Ihnen? = qu'avez-vous  
<sup>17</sup> dorong = Knüppel = bâton <sup>18</sup> még ne m = noch nich = pas encore <sup>19</sup> temetés = Leichenbegägnis = obsèque

## Varia.

**De aquila et luscinia.**<sup>1</sup> Aquila misericorditer spectat ex nidō, quem in summa<sup>2</sup> quercū altissimā posuit, quomodo nidulus lusciniae exiguae nutat in frutice<sup>3</sup> parvā. «O, tu infelix exigua» — inquit — cur non venis in vicinitatem meam, hic tranquille esse poteris et non metues? Sed avicula cantrix post tempestatem nocturnam horrendam, mane arborem contusam<sup>4</sup> et aquilam in nidō exsan- guem<sup>5</sup> videt. «Quam bonum erat» — inquit luscinia — «in frutice parvā manere. Nam frutex nutat et nutat, sed trabs magna frangitur.»

Ericus Zajta disc. Keszthelyensis.

**Experimentum physicum.** Magister discipulis in area<sup>6</sup> stantibus casum liberum vult ostendere. Ascendit igitur in tabulatum<sup>7</sup> tertium, ubi manu sinistrā horologium<sup>8</sup> portatile, <sup>9</sup>dextrā autem lapidem tenet. Lapide deiecto subito horologium aspicit et exspectat crepitum<sup>9</sup> lapidis. Quinque minimae<sup>10</sup> partes<sup>10</sup> hora<sup>10</sup>, decem minimae partes horae praetereunt, sed magister nihil audit. Qui-dam enim nebulo exceptit lapidem galero.<sup>11</sup> Magister stomachosus<sup>12</sup> factus alterum evehit lapidem et ite... n incipit experimentum. Nunc bene audivit crepitum; at cum horologium voluit spectare, vidit se lapidem manu tenere!

Iulius Joó disc. Ginsiensis (Kőszeg).

<sup>1</sup> fülemüle = Nachtigall = rossignol <sup>2</sup>tetején = Spitz-e sommet <sup>3</sup>bokor = Strauch = buisson <sup>4</sup>összezúzva = zerschlagen = écraser <sup>5</sup>mortalum = udvar = Hof = cour <sup>7</sup>emelet = Stock = étage <sup>8</sup>zsebóra = Taschenuhr = montre <sup>9</sup>zóréj = Schall = bruit <sup>10</sup>másodperc = Minute = minute <sup>11</sup>sapka = Pelzmütze = bonnet <sup>12</sup>iratus

**Mendicus.**<sup>1</sup> Mendicus olim in domum hominis divitis iit, ut pecuniam peteret. Dominus problema arithmeticō<sup>2</sup> occupatus, postquam preces audivit, mendico dixit: «Fortasse sors bona te hodie ad me duxit? Si problema solvere potes, decem nummos aureos obtines.»

«Nonnullam<sup>3</sup> facultatem arithmeticā habeo, ergo temptare volo, — respondit mendicus liben-tter. — Forsitan Deus ad fructum<sup>4</sup> pulchrum me adiuvit.»

Homo dives numeros in charta scripsit, et mendico praebuit. Qui breve tempus studiose computavit,<sup>5</sup> et mox laetus exclamavit: «Ecce solutio, domine!»

Homo dives, postquam rationem<sup>6</sup> examinavit, plausit et beate inquit: «Sane bene solvisti pro-bлемa, hic est praemium!»

Mendico decem nummos aureos dinumeravit et labore suum continuabat. Mendicus contentus pecuniam in crumena<sup>7</sup> posuit, sed abire noluit. Cum homo dives paulo post oculos tollens expec-tantem vidit, eum interrogavit, quid praeterea desideraret? Mendicus iracundus: «Stipem<sup>8</sup> — in-quit — petivi et tu diu me moraris.»

«Quomodo? — interrogavit dominus — iam donavi tibi decem nummos aureos et tamen affiras te nihil accepisse.»

Mendicus cum gravitate respondit: «Pecunia praemium problematis arithmeticī est, sed ubi est donum petitum?»

Homo dives risit, monetam cupream quaesivit et mendico dedit, qui nunc iam contentus abiit.

Maria Dischka disc. Angelani Bp.

<sup>1</sup> koldus = Bettler = mendiant <sup>2</sup>mathematico <sup>3</sup>meg-lehetős = ziemlich groß = quelque <sup>4</sup>haszon = Nutzen = profit <sup>5</sup>számol = rechnen = compter <sup>6</sup>számítás = Rech-nung = compte <sup>7</sup>pénztárca = Geldbeutel = porte-mon-naie <sup>8</sup>alamizsna = Almose = aumône

## Petőfi: Vehebatur asino....

Vehebatur asino  
Parvo magnus pastor,  
Pastor quidem magnus est,  
Miseria maior!

Gregem canens pascebatur  
Nullam habens curam,  
Cum amatam subito  
Audit morituram.

Insilit in asinum,  
Cito quatit terram,  
Sed iam sero venit ad  
Mortuam puellam.


Exacerbatum virum  
Quid rerum iuvabit?  
Valde caput asini  
Fuste verberavit.

Latine reddidit: Ervinus Gárdosi disc. Berzsenyiani Bp.

## LECTORIBUS MAIORIBUS

## Systema stenographiae S.-is Taylor. (5)

Ad linguam latinam accommodavit I. C. Danzer Pe-sthini 1802.



1. CHARACTERES RECTILINEI: *perpendiculares & duo convergentes, deorsum i. e. sribentem versus ducuntur; horizontalis vero a sinistra od dextram describitur. Ille character, qui asterisco notatus est, directione quoque contraria, i. e. sursum versus ducitur, aliamque inde sumit significacionem, ut infra, ubi de significatione agemus, patebit.* 2. SEMICIRCULI: ex his illi, qui supposito diametro perpendiculari dividuntur, *deorsum versus sribuntur; quos vero diameter horizontalis dissecare fingitur, illi a sinistra ad dextram curvantur.* 3. COMPOSITI, & quidem a) ex anulo & linea recta, *hi ab anulo inchoati, uno eodemque ductu formantur. b) ex adunca & recta linea; hi ab adunca inchoantur atque in rectam desinunt: uno dumtaxat excepto, (qui asterisco designatus est) quem a recta incipere et curvatura terminare oportet.* De formatione hamuli (Häufchen) loqui, super-vacaneum est; hic tantum monere volumus, illum prout vulgo *sinistrorum*, perinde etiam *dextorum* incurvari, atque ita pro diversa hac forma diversoque situ, quem infra vel supra apicem antecedētis literae nanciscitur, signifi-cationem quoque mutare. Vide terminations tab. I.

Continuabitur.

## Tab. I. Alphabetum stenographicum.

Communes	Stenogr.	Vocabula.
litterae.		Terminationes.
b	β	ab, ob.
d	δ	ad, id.
f, v	φ, ψ	videtur.
g, j	γ, δ	ego.
h	η	haec.
k, q	κ, ρ	ac, que.
m	μ	ille.
n	ν	eam, eum.
p	π	an, en, in, ai'n.
r	ρ	potest, pro.
s	σ	dicitur.
t	τ	as, is, os.
x	χ	at, et.
z, c	ζ, θ	ex, exempli gratia.
ch	χ	circiter.
a	α	
e	ε	
i	ι, ει	
o	ο, εο, ιο	
u	υ, ευ	
ae	αε	
ui, uit	υι, υιτ	
us	υσ	
nt	ητ	

N. B. Lineae horizontales ad characteres terminorum a, e, i, o, ae, us non partem characteris, sed relativum eius situm indicant.

## Sappho: 1. Precatio ad Venerem.

O Venus clari solii, precor te,  
Nec dolore alto crucies, dolosa,  
Nec malis curis, Iove nata, diva,  
Corque animumque,

Sed veni huc, olim ut procul audiebas  
Me vocantem te: subito paternam  
Liqueras aulam atque animo libenti  
Adveniebas;

Passeres parvi celeres vehunt te  
Aureo curru et volitant per auras  
In solum e caelo atrum; agiles frequenter  
Alae agitantur.

Advenis raptim. Dea cara, pulchra,  
Suave subridens subito rogas me,  
Passa quid sim curque iterum vocem te  
Quidve velim a te;

Quae velim, ut fiant, animo precanti.  
Quem velis, dicas, ut ameris isti;  
Quis tuum spernat vehementem amorem,  
Dic mihi, Sappho.

Si fugit te nunc, subito insequetur;  
Accipit non dona? — eris ampla donis;  
Osculatur non? — capies ab isto et  
Oscula nolens.»

Adveni et nunc tu mihi liberesque  
Me gravi cura; meus, exsequare,  
Quae cupid flagrans animus; iuves tu  
Nunc iterum me.

## 2. In puellam pulcherrimam inuptam.

Solum malum dulce rubescit in arbore summa,  
In summo ramo. — Carpentes forte latebat? —  
Non latuit malum, sed non poterant adipisci.

E Graeco convertit Ladislaus Juhász (Szeged).

## Librorum recensio.

Szabó Árpád. Perikles kora (de temporibus Periclis) Parthenon. Franklin-Társulat. Budapest, 1942. Pag. 96. Pretium P 2.80. — Ne legentes libri titulo primum aspecto fallerentur, scriptor ipso in prooemio se non litteras, artificia, aedificia aliasque res ad humanum civilemque cultum pertinentes, quae Periclis temporibus in summum splendorem effloruerint, tractavisse professus est. Hic tantum demonstratur, quomodo quibusve artibus Athenienses Graeciae imperio potiti sint. Auctor libelli Herodoti et Thucydidis narrationibus nixus ratiocinatione distincte adhibita explinabat Athenienses Themistoclis clare res dispiciens altiusque suspicentis ingenio ac sollertia adductos Lacedaemoniorum nimis angusto cernendi orbe praeditorum atque nil nisi sua commoda curantium consiliis elusis principatum civitatum Graecarum obtinuisse obtinetque principatu mox bello Peleponnesiaco Alcibiadis audacissimis et temerariis consilii compulso et suapte ipsorum potentia instigatos, postquam maximis se periculis et discriminibus commisissent, cito in praeceps delatos pessum datos esse. Árpád Szabó ea cogitandi et sentiendi ratione, quae nostrae aetatis est propria et sollemnis, in Herodoto et Thucydide duorum saeculorum diversitate perspicue efficta et expressa hominum ea aetate in republica primas agentium Themistoclis, Periclis, Alcibiadis mores et ingenia pigmentis depinxit vegetissimis. In prooemio de munere et officio rerum scriptoris probabili argumentatione usus prudenter disputavit. Árpád Szabó animos legentium vivida ac volubili narratione atque enucleate disserendi facultate ab initio usque ad finem delenit et devincit.

Car. Ács Bp.



Sappho

## III Ad Leopoldum Baranyai praesidem Societatis Parthenon.

Maecenas quondam scriptores atque poetas  
Adiuvit donis, vilia quae haud fuerant.  
Vergilius Variusque Horatius in numero sic  
Eius amicorum carminibus lyricis



- 5 Atque epicis nomen Romanum nobilitando  
Famam immortalem tunc peperere sibi.  
Iam bis praeter annus mox millesimus, ex quo  
Hos colit et luget grata simul pietas.  
Tempora mutantur, sed non homines alii sunt:  
10 Hic colit arma, necem, ille quietem amat.  
Belli et pacis amantibus haec placet unica cunctis:  
Omnes quam cupiunt, namque pecunia est.  
Nervus rerum est illa gerendarum, sine cuius  
Auxilio paucis vita beata potest  
15 Esse. His temporibus, quae nunc sunt, publica  
mensa  
Hungariae fons est, unde pecunia fluit  
Ad mercaturam atque negotia qualiacunque  
Praefecto summo te, Leopoldo, bono.  
At tibi sunt curiae non solum Mercurii res:  
20 Antiquas literas diligis atque colis.  
Praeside te socii coetus, cui Palladis aedis  
Dat nomen Graecum in culmine Acropolis,  
Inflammato animo se dedunt his studiis, quae  
Sunt decori cunctis, sunt puerisque viris.  
25 Et series nova librorum edita laude coronat  
Patronum illustrem Te, Leopoldo, hederae.  
Nam tibi debentur doctae omnes editiones:  
Fabula Oedipodis, Plautus, Aristoteles.  
Quis tamen enumerare bilingues editiones,  
30 Quis multa utilia cetera scripta potest?  
Quae cum ita sint, concede, excellentissime Praeses,  
Te ut cantem iunctis versibus impariter.  
Tu intimus Hungaricus qui consiliarius olim  
Pro meritis factus es, media cruce nunc  
35 A Nicolao Horthy Gubernatore decora  
Ornatus socios laetitia afficis, eu!  
Esto tu meritis macte! Incolumem Superi te  
Ut servent patriae Hungaricae atque tuis,  
Orantes oculos ad caelum tollere nunquam  
40 Desinimus. Nostrum te ducem omnibus  
Prosequimur felicibus atque imitabimur usque  
Ne indigni simus hac pietate tua,  
Qua colis Omnipotentem non secus ac patriam  
dans  
Omnibus exemplum, sed maxime sociis.  
45 Sit Maecenati nostro claro Leopoldo  
Ad multos annos vita beata vicens!  
J. Wagner.

## AENIGMATA.

**Solutiones aenigmatum numeri X.** (m. Iun.) : 1. Pollux pollex. 2. Validiora sunt. Ab ovo. Lingua. Ex dilectione. Nemo bonus. Tollit. In magnis. Nonumque. Unius. Sola. Felix. Exegi. Homo. Eucharistia. Roma : Valentinus Fehér. — 3. Umbrare, Numitor, plumbum, columna, postuma, studium. — 4. Fumus. — 5. Rubico, Himera, Olympus, Dodona, Aesopus, Nero, Ulixes, Saba : Rhodanus. — 6. Amor, mori, erat, rite. — 7. Olim, libo, Iber, mors. — 8. Furius Camillus. — 9. Si fueris Romae, Romano vivito more. — 10. Dulce et decorum est pro patria mori.

**Aenigmata recte dissolverunt :** Agatha Balázs. (*An-gelanum*), Eva König (*Veresianum*), G. Altorjay, S. Becker, H. Deák, I. Hübner, A. Imrédy, I. Johnny, C. Kozma, S. Regőczy, G. Soltész, A. Szabó, M. Vayk, G. Verzár, I. Wettstein, E. Mády, Martha Praznovszky, M. Buzadics, M. Demkó, M. Halmy, G. Kincsesy, M. Kincses, A. Kurovszky, M. Lörinczy, E. Kohl, H. Rédy, C. Solti, E. Vajna, E. Specziár, V. Rimanóczy, E. Szentgyörgyvári, M. Hideg-tétky, P. Török, M. Vecsei (*Sophianum*), Sus. Löwy (*Zrinyianum*), Z. Biró, (*gymn. conf. Helv.*), Ilza Mosonyi (*Giselanum*) Budapestinenses. Fr. Kreiner M.-Canissanus. Josephus Schupiter Pestszentlőriensiensis.

Crassis litteris indicantur, quibus praemium ab Societate Mag. Cath. Med. Schol. datum sorte obvenit.

### 1. Pyramis.

- |           |                     |
|-----------|---------------------|
| 1         | Consonans.          |
| 2 1       | Forma verbi «esse». |
| 3 2 1     | Causa, negotium.    |
| 4 3 2 1   | Vaderes.            |
| 5 4 3 2 1 | Robur, nervi.       |

Ernestus Keller disc. Dombovarensis.

### 2. Quadratum magicum.

1	2	3	4	
2				
3				
4				

- A A E E Scriptor rerum Transsilvaniae.  
O O O O Non bello, sed quiete.  
C C P P Numerus cardinalis.  
R R R T Puto, existimo.

Ioannes Szendrei disc. Makonensis

### 3. Angulus magicus.

1	2	3	4	5

- A A C C E Animal domesticum.  
E G I I Facies.  
N N S Coniunctio negativa.  
S S Pronomen determinativum.  
S Consonans.

Nicolaus Merckling disc. Lucanensis (Helvetia).

### 4. Acrostichum.

- |          |         |        |
|----------|---------|--------|
| . itra   | . ccido | . atio |
| . ppidum | . epus  | . xor  |
| . apio   | . ante  | . atis |
| . ubeo   |         |        |

Litterae initiales nomen iuvenis Romani indicant, qui bellum suae patriae intulit.

Ferdinandus Breier disc. Zrinyani Bp.

### 5. Ex sententiis.

- |                  |                       |
|------------------|-----------------------|
| ... et labora.   | ... spiro, spero.     |
| .... vidi vici.  | ... furor brevis est. |
| .....arma silent | ... et orbi.          |
| Musae.           | ... itur ad astra.    |

Expletis his sententiis litterae initiales nomen poëtae Romani dabunt.

Emericus Scheily disc. gymn. Archiep. Bp


### 6. Ex numeris.

- |                                 |                                 |
|---------------------------------|---------------------------------|
| 14, 8, 3, 39, 29, 12, 19, 38 :  | patronus poëtarum et artificum. |
| 6, 9, 28, 37, 11, 40, 31, 15 :  | summa potestas.                 |
| 18, 20, 22, 38 :                | numerous.                       |
| 17, 31, 27, 37, 4, 41, 10, 36 : | magistratus Romanus.            |
| 28, 8, 32, 6, 26 :              | cibus quotidianus.              |
| 25, 24, 4, 19, 3 :              | oppidum Italiae.                |
| 34, 5, 21, 10, 2 :              | histrio.                        |
| 1, 16, 35, 3, 2, 10 :           | orator clarissimus Romanorum.   |
| 30, 10, 23, 33, 7, 16, 13, 9 :  | locus comitiorum.               |

Si numeros litteris recte commutaveris, series litterarum 1—41 dictum iuvenalis poëtae dabit.

Ervinus Rafael disc. gymn. Unit. (Kolozsvár).

## 7. Ad saltum equulei.



Stellula initium saltuum indicat. Si hoc aenigma recte solveris, accipies disticha in sepulcro Stephani V-i regis († 1272) incisa.

*Ladislaus Harsányi*, disc. Maurini. Papaensis.

## 8. Ex sententiis.

- . . et labora.
- . . bonus nocet nemini.
- . . hominis est mendacio fallere.
- . . . . . nil nisi bene.
- . . . . . silent Musae.
- . . pro multis.
- . . pacem, para bellum.
- . . fit casu bonus.
- . . iacta est.
- . . . . . philosophus mansisses.
- . . . et oleum perdere.

Expletis his sententiis litterae initiales poetam Romanum clarum indicant.

*Ioannes Weisz* disc. gym. Hebr. Debrecinensis.

## 9. Crucigrammo.


1	2	3	4	5	6	7	↓
8				◆ 9			
10				◆ ◆ 11			
12				◆ 13			
14				15 ◆ ◆ 16			
◆ ◆ 17				18 ◆ ◆			
19 20	◆ ◆ ◆ 21						
22	23			◆ ◆			
24			◆ 25				
→							

*Ad libram*: 1. Proverbiū. 8. Puto. 9. Semina sparsi. 10. Milites procedentes. 11. Coniunctio explicativa. 12. Coniunctio condicionalis. 13. Aer mobilis. 14. Accentus, sonus. 16. Res (retro legenda). 17. Populus in antiqua Italia. 19. Coniunctio. 21. Est in silva. 22. Bos iunior. 24. Litus, ripa. 25. Caro assa.

*Ad perpendiculum*: 1. Proverbiū. 2. Rego, dominor. 3. (H)ero. 4. Precemur. 5. Consonantes aequales. 6. Postpositio aut funis. 7. Avide, habendi cupide. 15. Pars domus, quae in contignationes ducit. 18. Stomachos, odia. 20. Centrum circuitus sanguinis. 23. Coniunctio retro legenda.

*Ern. Réti* disc. Dombovariensis.

## 10. Ad componendum.



Si has reliquias recte disposueris, inscriptionem operis historici rerum scriptoris Romani ante MM annos nati accipies.

*Frid. Kreiner* Sch. Piarum M.-Canissanus.

## 11. Logographus.

Quo non durior alter, adest lapis. At latet intus bestia per viridans prompta salire nemus.

*Fr. Palata* Trebicensis (Moravia).

## 12. Rete magicum.

1	2	3	
			a a a
1			Succenseo, ira ardeo. 3. Una ex tribus Par- g g i cis.
2			i i i n o o o
3			p p r
			r r r r r s s
			s t t

*Guil. Volonterio* disc. Lucanensis (Helvetia).

*Nota.* Lectoribus minimis: 1—5, mediis et maioribus 6—12. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro suo collectas in communi involucre epistulae ad moderatorem *J. Wagner* (*Budapest, XI, Lágymányosítca 20.*) mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseket közös borítékban küldjék be a szerkesztősége.)

**Terminus solutionum: Calendae Decembres.**

## Epistolia officialia.

**Corrigenda numeri 1.** (m. Sept.): pag. 8: pro «Aerostichum» lege: Aerostichum.

**H. Villa.** De 25 annis magisterii expletis sincere gratulantes optime te valere iubemus. — **Rud. Ditrich.** Opusculum tuum non discipulis, sed viris doctis aptum ad te remisisimus. — **Ioca,** aenigmata, aliae manuscripta ad edendum omnino aut saltem partim apta mensibus Iun. — Sept. ad moderatorem miserunt: *C. Szécsi, I. Mosonyi, E. Kontor, V. Reményi, I. Schmidt, E. Kapeller, V. Bors, H. Rácz, A. Pányi, C. Ács, R. Frankl, I. Guelmino, L. Juhasz, C. Kiss, G. Lakatos, E. Keller, E. Nemes.* Quo quis brevius aut tempori aptius scribit, eo magis sperare potest se opuscula sua in IUVENTUTE mox lecturum esse.